

Quando domini aliarum domorum fuerint in alijs domibus sine aspectu, significat modo prædicto.

Luna coniuncta Sol in reuolutione, ducet natus uxorem.

Oppositus Mercurij ad septimam reuolutionis, significat periculum uxoris, & infortunium inimici manifesti.

Venus occidentalis à Sole, si in anni reuolutione fuerit coniuncta infortunantibus stellis, uel in ipsorum malo aspectu, mortem mulieris significat eo anno.

Venere coniuncta Cauda, uxor nati non recte habebit.

Sol & Luna oppositis in malis locis, caue foeminarum insidias.

Applicatio ascendentis radice ad signum septimum natiuitatis, si natus in ætate apta fuerit, eo anno decernit uxorem.

Ascendens reuolutionis ad locum Veneris radice, aut ad signum septimum radice, uel ad locum partis [coniugij], uel si in aliquo illorum [fuerint] significatores coniugij, uel Iupiter, aut Venus in reuolutione aspexerit ipsum locum, significat coniugium. Similiter quando Iupiter peruenerit ad locum Veneris in radice, uel aspexerit eam in domo sua, uel Veneris de trino, uel sextili, prædic coniugium futurum, & filios.

Luna existens fortunata si Venerem bene dispositam trino aspexerit in reuolutione, promittet lætitiã ex muliere, augmentum in coitu, & rebus Veneris.

Sol in reuolutione in septima, significat controuersias aduersus nobiles, & potentes, atq; litigia.

Saturnus in septima reuolutionis, significat diurnos gemitus, & natum mortuorum causa efficit anxium,

Signum reuolutionis ascendentis ad signum sextum, septimum, uel duodecimum radice perueniens, indicat eo anno malum futurum, maxime si hæ domus in radice fuerint infortunatæ. Sed septima rixas, & litigia multa significat.

Noli quemquam oppugnare cuius natiuitatis dominus fuerit anni reuolutionis dominus.

VII.



Octava domus significat mortem, hæreditates mortuorum &c. Vide igitur cuspides octauæ, & earum dominos in utroq; tempore. Item gradum diuisionis domus octauæ radice, & eius dominum, id est, diuisionem in ambabus figuris, commiscendo illis significata reliquorum, ut domini anni, Alfridariarum &c. ut supra.

Aphorismi.

O buiatio mala radiorum ad significatorem uitæ tam infausta quàm prospera sic cognoscitur in reuolutione annorum nati. Quando loca obuiationis mala fuerint, & infortunata, obstantia locis principalibus genituræ, tunc conueniens est dicere quòd id quod eo anno uenturum est, pro certo erit mors. Obuiationem malam intellige planetas infortunantes, uel eorum radios quadratos, uel oppositos, & nonnunquam etiam trinos uel sextiles.

Si uideris per directionem natum aliquo anno iter facturum, & quòd eo anno incurret in itinere aliquod periculum, uide si illo anno fuerit in reuolutione abscessio nam tunc iudicato natum ex illo periculo moriturum,

Quando